



Q. D. B. V.

DE

PINGVEDINE

CEV

SVCCO NVTRITIO SVPERFLVO,

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,
ACAD. h. t. PRO-RECTORE ET COLLEG.
MED. DECANO &c.

PRO DOCTORIS GRADV,

Publice disputabit

AVCTOR

M. DANIEL WILHELM. TRILLERVS,
ERFORDIENSIS.

Ad d. II. August. MDCCC XVIII.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

PINGVEDINE

HIPPOCRATES
LIB. DE
CARNIBVS.

ΕΓΩ ΚΟΙΝΗΣΙ

ΓΝΩΜΗΣΙ ΧΡΕΟΜΑΙ

ΕΤΕΡΩΝΤΕ ΤΩΝ
ΕΜΠΡΟΣΘΕΝ ΑΤΑΡ

ΚΑΙ ΕΜΕΩΤΤΟΥ.

PRO DOCTORIS GRADU

M. DANIEL WILHELM TRILLERVS

HALE MAGDEBURGICAE
Typis Christiani Henckellii Acad. Typogr.





DE
PINGVEDINE
CEV
SVCCO NVTRITIO
SVPERFLVO.

§. I.



FX pingui quadam substantia generamur & formamur; est enim semen secundum diuinum Hippocratem, τὸ ὑγρὸν τὸ ἰχθυόειον *Lib. de Genitura.* & τὸ πικρὸν (a): Pingui quodam liquore nutritur in tenera adhuc aetate, nam lac, quod tum ex mammarum haurimus fontibus, est ex eiusdem senis mente, τὸ πικρὸν ἀπὸ τε θρωτῶν & τῶν ποτῶν *de Pueri Nat.* (b): Post, ubi per aetatem solidiores adpetere licet cibos, succo non nisi pingui, ex ipsis chylificationis ope, expresso sustentamur, augemur, crescimus ac valemus, prout in sermone demonstrabitur progressu: sic nempe idem Hippocrates alio loco, sicut ille olim a me fuit emendatus, *de Aliment. extrem.*

A 2 quod

(a) In gratiam τῶν ἀνελλήνων hic & in seqq; vbi graeca occurrant, addam versiones. *Humidi robustissimum & pinguisimum.*

(b) *Pinguisimum de cibis & potibus.*

quod & Zuingerum ex parte subodoratum fuisse postea dici: Πίον τὸ ἐν σαρκί, πικρὸς τὸ ἐξ αἵματος ἢ ἐξ ἄλλης ὑγρασίας. Πίον τροφὴ ἄλιμος. Πίον τροφὴ φλεβὸς, ἀετηνείης (c). Dum autem pingui illo & oleoso nutrimur succo, ac per eundem crescimus, naturae eo non tendit labor, ut pinguescamus; sed ut potius sufficienti carne induti, commode & libere viamus. Videtur ergo pinguedo, quae in animato conspicitur corpore, naturalis non esse, sed ceu superfluum nutrimentum, quodque a natura partibus nutriendis commode adglutinari haud poterat & hinc, *quantum possibile*, foras expulsum, omnino consideranda. Hoc quod nec temere nec audacter statuatur, *Specimine* hocce *Inaugurali* ut vocant, breviter & sufficienter nisi fallor, a me demonstrabitur: Cui conamini ut eruditi faucant, enixe rogo atque obtestor.

§. II.

Ut vero hoc negotium ordine tractetur, atque ex ipso ut aiunt, fundamento eruatur, differendum nunc esse video cum de Nutritione corporis animati, tum de Nutrimento ipso. His enim rite explicatis, sua sponte elucebit, quousque mea tendat meditatio, quantumque ponderis habeat aut roboris. Postquam Andry, Leuwenhoeckius, Malpighius, Du Hamel, Borellus aliique sagaciores solertioresque naturae mystae argumentis sat grauibus, ipsaque cum ex ratione, tum autopsia petitis, euicerunt, animalium nutritionem & augmentationem secus fere non fieri ac vegetabilium, quae in seminibus suis etiam si minutissimis v. g. papauere, sinapi, cerasi nucleo

(c) Quum olim πῖον & πικρὸς nullo paene legeretur sensu, πῖον & πικρὸς substitui, item ἄλιμος loco τῆς ἄλειος itidem vitiose scripti. Versio haec est: Pingue ex carne, pingue ex sanguine & ex alia humiditate, pingue nutrimentum generosum, pingua nutrimentum venae & arteriae.

oleo &c. stupendo quodam & humanas cogitationes excedente propemodum modo, effigiata & in compendio quasi delitescentia, per humorem ex terra ipsis adpropriatum (d) blandumque solis calorem, rupto repagulo & cortice, extenduntur, sicque in altum porriguntur: Dubium paene nobis superest nullum, quod illud dogma admittere vetat, quod & illustri acui nostri ingenia defendere non erubuerunt; statuentes nimirum, foetum delineatum iam suisque partibus artubusque instructum latere in femellae ovario, immo distinctius, ouulo, ita tamen, ut motu ille careat (e); tamque tener sit ac paruus, ut omnem omnium oculorum eludat aciem: simul ac autem ab aura maris plastica spirituosissima fuerit adstatus, hincque in peculiarem quandam motum adactus & actuatus, post per tubas sic dictas Fallopianas in vteri cavitatem abactus; tunc accedente chyloso nutrimento, primo pauciore, ratione tenelli ouuli, post paulatim auctiore, ut recte adnotat Hippocrates, illum incipere augeri h. e. extendi, adeo ut facilius conspici queat & contrectari (f). Sic supra laudatus Leeuwenhoeckius ex ouilla matrice foetum

de Nat. Pueri,

Arcan. Nat.

P. I. p. 164.

A 3

tum

- (d) De quo eleganter disseruit Hippocrates Libb. de Nat. Pueri, item IV. de Morbis &c. qui & ipse ait, vbi homines vegetabilibus simillimos esse, abunde demonstrat, τὴν φύσιν πάντων παραπλήσιον ἔσσαν, τῶν τε ἐν γῆς φρούτων, καὶ τῶν ἐξ ἀνδρῶν, Naturam omnem consimilem esse & Vegetabilium & hominum; qualia etiam apud Aristotelem & Galenum Musoniumque &c. leguntur.
- (e) Vnde non inepte dixit Aristoteles de Gen. An. L. V. 1. eum primum dormire, somnoque immersum sensu motuque carere.
- (f) Hinc & Aristoteles egregie marem dixit foetum viuificare ipsique animam quasi & motus principium indere, femina subministrante tantum materiam, de Gen. An. L. II. IV. quod & Scaliger propugnat contra Cardanum Exercit. CCLXVIII. Vid. maxime Almeloveen Amoen, Theol. Philol. p. 143.

tum quondam exemit dierum septendecim, omnibus suis membris & visceribus perfecte instructum, licet octauam pisi partem proportionem ille haud excederet: sic & ipse Hippocrates siue Auctor libelli *de Aetate*, inter Hippocratea vulgo relati, foetum humanum septem tantum dierum, se vidisse testatur, qui in aquam coniectus sicque explicatus omnia membra habere repertus est, quam sententiam M. quoque Varro adprobauit, vt ex A. Gellio docemur: Taceo in praesenti, quae Cl. Brendelius & quem ille allegat, illustris Bergerus obseruarunt in hanc rem, stupenda plane & fidem paene omnem superantia; sufficiat iam prioris viri doctissimi allegasse dissertationem

§. XXV. p. 38. *de Embryone in ouulo ante conceptionem praeeistente.*

§. III.

Haec igitur auctio, haec inquam extensio in utero materno inchoata, & ad exactum partus vsque tempus sensim continuata, continuatur post maiori nisu, quum foetus exclusus liberiori exponitur aëri, hincque citatiorem sanguinis inchoat circuitum; & perficitur demum, vbi natura metam attigit sibi a summo Creatore praefixam, id est, vbi ad adultam aetatem homo peruenit, quod post aliquot viginti annorum decursum fieri solere adserunt. Est scilicet vnicuique sua mensura suumque pondus (g) ad quae vbi peruentum est, sine detrimento altius assurgere nequit naturae operantis conatus. Hinc perfectam illam quam dixi, aetatem Thucydides vt & Plato vocarunt *καθ᾽ ἑξῆς ἡλικίαν* constantem vt vertit Tullius, teste Galeno & qui ad illum prouocat, Foëssio: & Hippocrates illos, qui in ea sunt constituti, *καθ᾽ ἑξῆς ἡλικίας, consistentes* haud amplius

Apb. I. 17.

(g) Nisi forsitan Nilii incolam crocodilum velis excipere, quem quandiu viuit, in longum crescere ferunt quidam apud Plinium L. VIII, 25. quod & illustris confirmat Theophrastus Itiner. Orient. P. I. L. II. c. 72.

plus crescentes, quos & ex eodem capite rectissime dixit
 τοσοῦτα αὐτὰ νῆσειν φέρειν (h) de quo infra pluribus. Huic autem
 menturae h. e. corporum extensioni absonum est limites
 ponere, immo in ipsum Creatorem naturamque iniurium.
 Quidam in longum porriguntur adeo, vt portentosum
 quid habere videantur: alii e contrario adeo depressi sunt
 atque exiles, vt pygmaeorum esse possent nepotuli: mul-
 ti etiam, ique fere plurimi medium magnos inter paruos
 que obtinent locum. Sed hos omnes perfecta autumo
 habere corpora, modo iusta gaudeant membrorum sym-
 metria ac proportione, haec enim si adfuerit, nemo mihi
 vel ἀγρία Φύλα γιγάντων, vt Homerus canit, (i) i. e.
 ingentis staturae homines, nec pumiliones h. e. homun-
 ciones & hominum quasi compendia monstra esse persua-
 debit: ficuti nec arbusculas humiletque myricas, nec sidea
 ferientes abietes protinus pro naturae errantis aut lan-
 guentis operibus habere conuenit: Videatur praeter Hip-
 pocratis de *A. A. & L. librum*, *Elsholt. in Anthropometria, C. C. IX. &*
 & B. MEVS PARENS *de Vsu proportionis in mundo, item X.*
de Statura longa personarum illustrium. Quomodo vero
haec fiat extensio, paullo infra dicam,

§. IV.

Postquam igitur homo iustam suam mensuram, ad
 quam acquirendam plurimum sane requirebatur nutri-
 menti, perfecte expleuit, amplius augeri sive expandi ne-
 quit; ἀλλ' ἐσηκεν ἀτεμεῖζον τὸ σώμα τῆς ἀσκήσεως πυκνὸν τε ἐὼν
 καὶ ἀτερεῖς (l) vt perbelle noster inquit dictator. Hinc nec
 tanto

*Lib. I. de
 Diac. & de
 Glandul.*

(h) Facillime ieiunium sustinere: ceterum miror hunc locum ab in-
 terpretibus, paucos si exceperim, secus fuisse explicatum, quod
 obiter noto.

(i) Odyss. VII, 206. Rusticae Gigantum nationes.

(l) Sed stat corpus ab augmento quiescens dum compactum est & con-
 summatum. Vulgo legebatur ἀσκήσεως, quae vox nihil significat.
 Ego

tanto opus est alimento, quanto scilicet antea, quum adhuc crederet; sed tantum ipsi saltim est necessarium, quantum ad resarciendum illud, quod vel per insensibilem transpirationem, vel salivam &c. quotidie perditur. Id vero priorum impensarum respectu, longe minoris videtur momenti, & nutritionis vix est perdignum nomine, unde etiam notha quibusdam audit nutritio. Eleganter hinc Theodoretus de nutritione verba faciens, inter alia ita ait: *Οὐτω τὸ σῶμα τρεφόμενον ἐν μὲν τοῖς βεβήσοι ἀύξεται καὶ μηύεται καὶ ἐκρύνεται, καὶ προσφοροῦν κατὰ βραχὺ προσλαμβάνει σῆλον, ἔταν δὲ εἰς τὸ ὠρῆσθαι μέτρον (de quo ante diximus) τημιᾶντα τῆς μὲν αὐξῆς παύεται, τρέφεται δὲ μόνον (m).* Immo ipse Hippocrates *Libb. de Diæt. Nat. Pueri & alibi* sæpius distinguit inter *αὐξῆσιν* & *τρέφον*: adde inprimis Auctorem definitionum medicarum Galenum vulgo creditum, item Plutarchum. Sed de hac re inferius agam pluribus: Iam ad ipsum progredior Nutrimentum.

§. V.

De Nutrimto eiusque essentia, dictu est difficile, quantae Physiologos inter & Anatomicos lites fuerint motae: sanguis scilicet non omnibus pro commo do & adproprio partium omnium nutriendarum sufficiebat nutrimento, licet praeter Hippocratis, Democriti, Platonis, Aristotelis, aliorumque veterum consensum fere vnanimem, ipsa illud suaderet immo postularet ratio. Sanguis enim

Ego legendum cenſeo *ἀτρέκεις*, quem in ſenſum ſæpius hac voce uſus eſt Hippocrates. Poſſi emendationes videri poſſunt in eius oeconomia ſub *ἀτρέκεις*, & ab aliis laudari: mihi certe illae nimis viſae ſunt durae & allegoricae.

m] Corpus ſic nutritum in infantibus quidem augetur, & in ſenſum latius extenditur, & adaequatum paulatim aſſumit pondus: Quando vero ad definitam peruenit meſuram, tunc ceſſat augeri, & nutritum ſolum.

enim ex chylo paratus omnes habet qualitates & proprietates, quae variae variarum partium nutritioni commode inferuire possunt, quod omni alii succo, qualiscunque ille tandem sit, a natura denegatur, quum & ille ceu ad veram catholicamque nutritionem ineptus, a sanguine sit sepositus, in vnum alterumue tantum usum. Adeo remotiora atque abstrusiora mortales quaerunt, propiora eaque certiora negligentes. Audiendi igitur non sunt Glissonius, nec strenuus eius defensor Charletonus, nec his consentiens Consentinus, nec alii & Angli & Itali, pauci admodum, Etmullero teste, eos sequuti, qui praeter sanguinem, quendam neruorum succum pro vero & efficacissimo corporis animati venditarunt nutrimento. Eorum enim argumentis, vtut prima fronte speciosis, satis valide obuiam itum fuit a viris per vniuersum orbem clarissimis Bartholino, Baylio, Betto, Bohnio, Brunone, Cole, Deusingio, Etmullero, Regio, Riuino, Stenone, Verheyenio, Wedelio, Willisio, aliisque pluribus, quos hic allegare tantum, non exscribere, mens est, quum eorum scripta nemini non sint, certe esse debeant, notissima. Potius cum hisdem, inprimis Bohnio, Etmullero, Harueo & Verheyenio &c. adferimus, sanguinem arteriosum puta, corpusque vniuersum perenni alueo percurrentem, eiusque cum primis partem serosam s. gelatinosam & pinguem, Hippocrati *πίεσην δύναμιν* (n) vocatam, partibus nutriendis ceu aptam & adaequatam massam a natura impendi, quod & ipsa docet autopsia in iis praesertim subiectis, quae dum *πολύσαρκα* sunt atque subpinguia, ideoque succo nutritio adeo non indigent, in sanguine monstrant serum quoddam pingue supernatans, lacti fere simile, vt in anseribus, frumentaceis turundis diu pastis, obseruauit Olaus

B

Bor-

n] *Pinguem potentiam.*

Hermet. Anti Borrichius, cui aliud addi potest experimentum, quod apud Willisium legere licet. Videmus praeterea in corporibus fame emaciatis sanguinem & perpaucum esse tenuemque (o) &, quod inprimis huc facit, succo illo gelatinoso s. pingui destitutum, vt celeberrimus obseruauit
Conring. L.I. c. X.
Anat. Cerebr. s. XX.
Progymn. VII. sub fin. Bohnius, item Bartholinus. Tacco alia. Verissimum ergo est, pingue sanguinis serum, h. e. quintam quasi chyli essentiam, Cambium veteribus Arabibus dictam, corpus animatum & nutrire & apte nutrire posse.

§. VI.

Dixi superius paullo, veram nostram nutritionem s. augmentationem fieri per extensionem: hic ergo demonstrandum nunc restat, qua ea fiat ratione. Extendi iam incipimus in materno vtero, de quo supra actum: Haec autera extensio cum ea comparari haud potest, quae tunc demum incipit, quando foetus in liberiolem protrusus aërem, organisque chylicationi inseruientibus ita fuit instructus, vt iis vti possit commode (p), & maiore demum naturae peragitur conamine, in tenello, vt dixi, luci publicae exposito, & per os alimenta sua auide hauriente; post in ventriculo & intestinulis digerente, digestaque in sui augmentationem impendente. Videtur autem hic mihi succus

- o] quod quidem Charletonus, Borellus alique in dubium vocant; sed a Diemerbroeckio variis exemplis fuere refutati.
- p] Quod non ab initio, vt Democritus & Epicurus apud Plutarchum *Pl. Ph. V. 16.* putarunt; sed vltimis potius gestationis mensibus, contingit, vt post Hippocratem *de Carn. §. VIII.* certatim probauerunt Viri maximi Backius, Bartholinus, Bohnius, Cartesius, Coiterus, Harucus, Hoffmannus, Schoockius, Segerus, Velthufius, Verulamius, Veslingius alique. Nuperrime accidit, vt mercenarii cuiusdam in vicinia vxor infantem partu satis enitererur difficili, cuius funiculus vmbilicalis a putredine totus fere erat excisus: Hic, impossibile fuisset, vt vixisset, nisi aliunde, quam per funiculum illum, ipsi suggestum fuisset nutrimentum.

cus ille nutritus, quem & in utero, & postea ex nutricis mammis imbibit tenellus, sufficiens non esse ad corpus eius, quod quidem per illius adfluxum sensim sensimque extenditur, consolidandum, illaque, quae per illam extensionem patefcunt, interstitia & variae figurae angulos porosque, ab sua forte, ut ita loquar, *aquositate*, apte complendum (q). Nam dum & mater & nutrix de eodem succo participant nutritio, priusque fere nutriuntur ac ipse quidem foetus & infans: vna cum succo alibili multas particulas aqueas minusque tenaces ad ipsos remeare eredo. Huic meae meditationi ansam dederunt caro infantum succulenta & quasi spongiosa, ossiumque substantia ut plurimum cartilaginea. Fieri ergo tum deum perfectam nutritionem h. e. extensionem cum consolidatione simul, adfero, quando pueri solidiores cibos per dentes comminutos, aut his deficientibus, per gingivas attritos, adsumere possunt, sui que iuris sunt ita, ut de ipsorum alimento nemo participet amplius, tunc enim *ταύτα αμφίενονται τὰ παρδία, οἷά περ ἰσ' ἀνδρες (r)* ut magnus ait Hippocrates alia licet de re: nec nostrae inepte *de Oestimestr.* prorsus dicunt mulierculae: das Milch-Fleisch muß ihnen erst wegfallen.

§. VII.

Haec autem, de qua dixi, consolidatio secus concipi

B 2

pi

- q] Simile notat Hippocrates de Plantis, quarum & generationem & nutritionem cum natura humana exacte conuenire, fusius edisseruit, ut supra iam me obseruare memini. Putat nimirum *Lib. de Nat. Pueri* §. XXIII. eas, priusquam adolefcant & firmas agant radices, tenui tantum & aquoso nutrirī nutrimento: tunc vero, ubi solidiores fieri inceperint, *ἐκ τῆς γῆς ἔλκειν ἐκείτι ὕδαρες, ἀλλὰ παχύτερον ἢ πιάστερον ἢ πλείον*, ex terra non amplius *aquosum* attrahere nutrimentum, sed *crassius, pinguius ἢ copiosius*.
- r] His inuestiuntur pueri, quibus viri.

Pl. Pb. V. 16.

pi nequit, quam per durabilem aptamque interstitiorum & angulorum modo dictorum repletionem, inde & eleganter Alcmaeon apud Plutarchum, dixit embryonem f. corpus ἀναλαμβάνει ὡσπερ σπογγίαν τὰ ἀπὸ τῆς τροφῆς θροπτικά (s). Necessaria ergo erat massa, quae nec rigida nimis esset, nec fluida nimis ac aquea, sed media potius inter utramque i. e. succus, vt Verulamius loquitur, *subdurus, subpinguis* aut *subroscidus*. Quum enim rigida esset & minus flexilis, haud commode insinuare sese poterat in interstitia illa, quae ratione varii fibrillarum flaminumque plexus flexusque, suppono nunc coniformia, quadrangularia, triangularia, rotunda &c. nec iis apte inhaerere: si fluida nimiumque flexilis, metus suberat, ne eadem illa interstitia per lubricitatem suam, relinqueret vacua & incassum pertransiret, quod tabidorum inprimis testatur sanguis serosior iusto & aquosior, vnde & vera deficit nutritio. Nulla igitur ad condensationem f. completionem massa erat aptior, quam subpinguis & gelatinosa. Haec enim per flexilitatem, cuiuscunque figurae replere poterat spatium, & per tenacitatem, eidem apte satis & firmiter adhaerere atque adglutinari, demumque accedente inprimis calore, & ex hoc enata coctione & agitatione, in corpus conuerti solidum, ita vt illi tandem, cui adhaesit, parti omnino euaderet similis, quod vno verbo alimenti physiologi vocant ὁμοίωσιν siue *assimilationem*, magno ipsis facem praeferente Hippocrate, qui & alibi vocem διδοίωσιν vsurpat i. e. *permutationem* succi nutritii in ipsam, cui inhaesit, partem; sensu nihil plane differente. Quod autem pingui & chyloso succo animata nutriantur corpora, eleganter quoque illustris Verulamii demonstrat experimentum, quo omnem paene carnem minutim disse-

Silu. Silu.
Cent. VII. 678.

s] Veluti spongiam imbibere ex alimento particulas nutritias.

Etiam vitro membrana clauso inditam & aquae ebullienti per 6. 7ue horas impositam, in pinguem quandam gelatinam h. e. in sua primordia, resolui posse docet: cui simile est, quod de struthione refert Theuenotus, qui captus & per tempus agitatus volutatusque penitus tandem in butyrosam quandam liquefcit materiam (solis remanentibus capite ossibusque) quam Arabes *Mantegue* vocant. Vt illud iam omittam, quod Willifius in eandem rem habet Cap. XX. de Cerebri Anatome superius allegato.

§. VIII.

Haec alimenti *σπουδαίως* & interstitiorum repletio durat, quousque corpus crescit, i. e. quousque extendi potest, vt saepius dictum: quod ad pubertatis vsque annos contingere magnus adserit Bohnius: certe ad aliquot viginti praeter propter annos. Quibus adquisitis, desinit omnino corpus in longum latumque extendi atque amplius augeri, quum nulla supersint interstitia, nullusque sit *σπουδαίως* locus. Interim vero nihil detrahitur nutritioni: eadem immo & maiori alimentorum fruimur copia, licet haud amplius crescamus. Et quamuis nutritione carere non possimus, ad statum illum extensarum partium integrum conseruandum, partesque ipsas, quibus per insensibilem transpirationem, vehementiores motus &c. &c. multum quotidie decedit roboris, quod *Sanctorii Medicina statica* accuratissima lance trutinat, dum eae quasi ardescunt, liquore illo generoso & virtuoso perfundendas & irrorandas: Videtur tamen plus quotidie post expletum scil. accretionis terminum, elaborari succi nutritii, quam corpori nostro resciendo opus est.

§. IX.

Atque sic sua, vt supra dixi, sponte ad pinguedinem deducimur. Ea nimirum est superflua illa succi nutritii portio, nec vllam ad corporis perfectionem & integritatem

Anat. Ref. L.
L. c. 3. p. 24.

tem requiri credo pinguedinem, siue ea sit *radicalis*, siue *secundaria*, vt Molinettus & ex eo Maior distinxerunt apud Bartholinum (t). Dum enim succus nutritius largo quasi flumine ad corporis propellitur partes, ibi autem ipsi, vt dixi, locus non conceditur ob corpus iam auctum & completum; transfudat ille per carnis poros, & vbi locum nactus est commodum, praesertim in membranis, ibi adhaeret, & dum augetur indies & quasi consolidescit, i. e. dum sacculi illi & vtriculi oleosa substantia turgidi arctius sibi inuicem imponuntur, sub massa quadam albicante adpellare collibitum fuit (u). Hoc vt probemus, ad ipsos statim prouocamus pingues & obesos, qui in ediam facillime ferre solent & possunt, ex nulla alia, opinor, ratione, quam quod natura ex superfluo hoc succo nutritio siue pinguedine, illud retrahere quasi vel resorbere potest, quod ad amissum restaurandum sufficiebat. Tale exemplum recenset Th. Bartholinus de puella quadam. Prouocamus porro ad ipsa quae saginantur, animalia bruta, ea enim quo pinguiora, eo pauciora adsumunt alimenta: Immo haec ipsa hunc in finem iusto copiosiore & lautiore infarciuntur nutrimento, vt pinguescant, i. e. vt superfluus succus nutritius pro palati desiderio, carnem sub pinguedinis forma

Hist. Anat. C.
III. LXXX
VII.

- t) Nullam enim radicalem dari ipse fateretur Bartholinus l. supr. c. qui eam ad membranas potius referendam censet, quales in embryonibus pinguedine destitutis: secundaria multo minus est naturalis, vbi scilicet successu temporis, superflua succi nutritii copia membranarum illarum foueolas & cellulas occupat easque implet atque extendit &c.
- u) Atque sic iterum vel in hocce passu, analogum quid nobiscum habent vegetabilia, quae supra iam allegaui. Lacrimae enim & gummi, quae saepius plorant & exfundant, non tam excretionis, vt multi putant, quam succi nutritii nimii per radices adscendentis exuberantiae sunt, quod & recte adseruit summus Verulamius *Hist. V. & M. ad Ars. IV. §. 7.*

ma obducatur atque inuestiat. Videmus praeter haec in morbis pinguedinem in nostro saepissime deficere corpore: Nam quia per materiam, ut loquuntur, peccantem, seu motus in nostra machina contrarios, quos morbum vocamus, chylicationis aequae ac nutritionis plerumque impeditur negotium; illud, quod in oeconomia animali superfluum erat, reuocatur quasi, quo ipsum aliquo saltim modo sustentetur & refocilletur corpus, de quo paullo infra distinctius (x).

§. X.

Haec argumenta, ut maiorem apud eos inueniant fidem, quibus forte hoc meum paradoxum videbitur assertum, firmabo iam aliquot & veterum & recentiorum Auctorum testimoniis. Aristoteles: *πυμελή ἐστὶ αἷμα περιπεμμένον δι' ἐπιθροσίαν, καὶ τὸ μὴ καταναλισκόμενον εἰς τὸ σαρκώδες μέρος τῶν ζώων* (y) quod & idem bis repetit Lib. I. de Animalium Generatione: Auctor medicarum definitionum apud Galenum: *Πυπελή ἐστὶ παρ' ἐγγύμα τροφῆς περὶ τὰς ὕμνας μάλιστα πηγυμένη, ἀνάθη* (z) Philippus Melanthon ex veterum sententia: *Pinguedo quaedam est humi-
ditas superflua ex bono sanguine redundans.* Verulamius: *H.V. & M. ad
Pinguedo nihil est aliud, quam exuberantia alimenti, ultra
id, quod excernitur, aut perfecte assimilatur.* His addo *Physol. c. III.
Etmullerum, Medicum, dum fata sinerent, vndiquaque cele-
§. 9.*

x] Non nescio, aliam plerumque huius rei dari rationem, nempe intentum in morbis calorem citissime absumere pinguedinem, utpote dissipatu facilem: Highmori in primis aliorumque, qui cum fequenti, hoc est commentum, a Verheyen tamen recte in dubium vocatum *Anat. Tract. II. c. IV.*

y] *Pinguedo est sanguis coctus & inspissatus propter nimiam nutritionem, quique in carnem animalium partem impendi nequit: siue illud, quod in partium nutritionem consumi non potest.*

z] *Pinguedo est assusio nutrimenti circa membranas maxime fixa, sensus experta.*

celeber, imum: *Pinguedo*, inquit ille, non est proprie e partium solidarum numero, quin potius per accidens, ex abundantia succi nutritii, post aëtionis annos, membranis adhaerere & sensim adfixa coagulari (pro earum vel humectatione, vel blando subiacentium partium foru) videatur, unde nec propriam circumscriptam a se continet figuram, & nunc augetur nunc diminuitur, vbi & Sebizium Lib. de aliment. facultat. V. allegat. Imprimis eiusdem doctissimi viri legimeretur dissertatio de Corpulentia nimia, quae Octava est, vbi multa quae huc faciunt, lectu dignissima, maxime autem quum ita concludit: *Adeo, vt dicendum videatur, pinguedinem per accidens ex abundantia succi nutritii & chylosi, sub & post augmentationis annos generari, membranosis locis adhaerere, & intra sua membranosa receptacula pedentim dilatata inclusam successiue coagulari.* Vno nomine, esse quasi oleum uberius, aut potius butyrum densius, firmitus paullo inspissatum & coagulatum. &c. &c. vt taceam hic elegantem eius demonstrationem, qua nimirum ratione chylois ille succus nutritius superfluous, ob spatium ipsi interne denegatum, & a fibris carneis sanguine inuestitis occupatum, per membranas elastica virtute praeditas, exsudet, iisdem adhaereat & coaguletur. Conferri quoque possunt Sennertus, item Caecilius Folius, qui de generatione & usu pinguedinis elimatum composuisse dicitur Tractatum, a laudato Ettmullero eodem loco, vt & Bartholino allegatus, aliique plurimi. Et sic facile dirimi poterit illa notissima; num pinguedo pars sit corporis solida, an vero fluida, nam dum ea & adesse potest & abesse, ad neutram censeo referendam: nisi eam vocare malimus *accesforiam*; hoc enim nomen ipsi, si quid iudicem, reuera competit.

§. XI.

In eo igitur omnes fere conspirant vnanimiter, pinguedi-

guedinem superfluam succi nutritii esse copiam : Et nihilo tamen minus iidem adserunt, eam esse naturalem & ad varios in corpore animato vsus a natura destinatam. Quod sane postulatum, non dicam paradoxum, videtur haud adeo paruum. Quidquid enim superfluum, illud non est necessarium; quod vero necessarium non est, impedito potius esse videtur, quam emolumento : Et ipsa natura, quae secundum magnum Hippocratem, *διαισότην* de *Fractur.* h. e. accuratissima, & iustae symmetriae ac proportionis est obseruantissima, (aa) omne nimium respuit ac superfluum. Quum vero post cuticulae cutisque remotionem, in omnibus fere subiectis, pinguedinem Anatomicorum inueniret solertia; eam naturalem & ex propriis corporis partibus esse putarunt, licet alibi, vt iam monui, illam superabundare adsererent. Sed ipsos illos, quos pinguedini adscribunt, vsus breuiter lustrare & examinare animus fert. Horum enim plurimi ita sunt comparati, vt rite non videantur Auctores distinxisse inter succum illum chylosum vel vt aliis loqui placuit, butyrosom, quatenus ille massae sanguineae innatans, partium *πῆξαι*, vt loquitur Hippocrates, h. e. nutritioni primariae, item & secundariae seu earundem irrationi, impenditur, & quatenus peculiare extra corporis limites occupat spatium. Quantum enim ad prius, largior, pinguedinem improprie sic dictam suos praestare vsus eximios, dum ea scilicet nutrit & auget : proprie autem sic dictae pinguedini illos adscribere omnino dubitamus, prout mox patebit ex vsibus illis iam cum nostra *ἐπιμέλειαι* recensendis.

C

§. XII.

aa] Sic recte hanc vocem explicant Palladius, Erotianus, Galenus veterumque alii, quod contra Cl. Clericum noto, qui eam *moraliter* interpretatur; quod aduersus mentem est Hippocratis, vt alibi demonstrabo distinctius: vbi & illum qui Clericum temere sequutus, & hinc in Hippocratem summe iniurius, in viam reducam.

§. XII.

Primo pinguedinem illam, quam inter integumenta corporis naturalia & propria, haud opportune referunt, impedire nimiam dicunt transpirationem, Sed qui pinguedinis texturam, eiusque particularum globosarum contiguitatem non continuitatem considerauerit, quam iidem ipsi omnes fere admittunt; statim videt, eam transpirationem non impedire, quam potius eidem liberum relinquere exitum. Secundo aiunt pinguedinem partes subiectas calefacere atque fouere: sed ne hoc stringit, nam nostri corporis partes externo illo, fotu indigere non videntur, quum celerrimus iste & perennis sanguinis per eandem circuitus ipsas interne satis foueat blandoque calore adspirare; praeterea & ipsi cuti & membranae carnae siue panniculo, vt in brutis audit, carnosio, illud, si necessum, committi poterat officium. Tertio, pinguedo frigus impedire dicitur quominus interiora versus penetret: ad hoc responderi potest, quod ad prius iam dictum; nam per porosam satis pinguedinis substantiam libere penetrare possunt rigida frigoris spicula: saepius quoque non obstante egregio pinguedinis umbone, obriguisse notum est, obesiora corpora; quin & pingua animalia v.g. vrsi, porci, glires &c. hiemis tempore, sua latibula frigoris metu, aequae quaerunt, ac ea pinguedine quae destituuntur: Nec frigus profecto pinguedinem vt perforet, opus habet, quum facillior longe ipsi concedatur aditus per fauces & primas sic dictas vias. Idem statuendum, quum Quarto adserunt, calorem impedire pinguedinem, ne ille penetret: radii enim solares facillime sese insinuant, immo ipsam illam quodammodo resoluunt pinguedinem, quod sudor abunde emanans manifesto testatur. Nec Quinto, necesse est, vt pinguedo partes vnctuositate, vt ferunt, lubricet, easque ad motum hinc aptiores reddat, nisi eatenus hoc intelligatur, qua-

quatenus particulae illae oleosae & pingues cum sanguinis Euripo, per totum corpus disperguntur, vt supra monui: alias enim motus fiunt ab intra, quid ergo pinguedo ab extra poterit conferre? praeterea ossa habent suam medullam suaque vasa ad eam tendentia succumque nutritium deferentia, & articuli succum suum siue mucum moribus optime inferuentem, teste Hippocrate nostro; *Lib. de Loc. in Hom.* vt adeo commode carere possimus externa illa pinguedine. Sexto perhibent, *pinguedinem interstitia implere adeoque habitum reddere leuem ac venustiore*: & hic solus mihi videtur vsus, quem habere potest, si quem habeat, pinguedo; hoc ipsum tamen caro etiam praestare potest succulenta & plena; nec est quod vetulas hic allegent & silicernia, in quibus omnes subsidunt partes exsuccae tonoque suo naturali priuatae, & tota in vniuersum, ob virium defectum, cessat viuacitas. Septimo, *nec puluinaris ad instar & propugnaculi contra ictus & compressiones pinguedo, vt commentantur, esse potest*; quum potius eo facilius penetrent ictus ob denegatam natura pinguedini elasticitatem, quam nemo ipsi poterit adstruere. Octauo, *pinguedo sales aliasque acriores particulas tanquam vinculum coercere creditur*; neque id iniuria, quatenus ea sanguini innatat; simul ac autem ceu superfluum quid fuerit eiecta, cessat omnino & hic vsus, quem & Malpighio eius auctori, dubium iam fecit Bartholinus; cuius etiam (vt id obiter hic inferam) vasa quae fingit, adiposa, non sine ratione destruxere Veheyen & Riuius aliique. Nono, de Omento vt plurimum pinguedine inuestito, statuunt, *illud ventriculi iuuare coctionem ipsumque fouere; & hinc eo exciso, status oboriri & ructus &c.* Sed hoc omentum praestare potest, si praestet, (bb) non qua pingue, sed qua omentum

C 2

bb] Scrupulum enim iniiciunt exempla a Foresto atque Riolano allegata, quae citat Bartholinus Anat. Ref. L. I, c. VIII. p. 66.

tum est glandulis suis vasisque donatum, quod Democritus τὸν κρείον ἀπόσπης κοιλίης totius ventris vocavit *dominum*: & ipse de hoc vsu dubitare videtur Verheyen, inprimis autem Excell. Riuius in nupera de Omento Exercitatione, vbi nouam plane de illius vsu fouet opinionem. *Decimum* argumentum leuissimum sane est, quum putant, *pinguedinem natiui Caloris esse pabulum, flammamque vitalem ceu oleum ellychnii, conseruare*: Diu enim iam est, ex quo flamma illa vitalis Willisiana, Helmontiana Holstianaue, per ignea nostri saeculi ingenia extincta fuit, hincque & illius pabuli vsus vel sponte in fenum abicit & auras: Nec raro ii citius extinguuntur, quibus multum superpeteret istius pabuli ad illam sustentandam. Nisi ita illud velimus interpretari, quod substantia illa pinguior & oleosa, quae corpus auget & nutrit, de qua haecenus dictum, dum vitalitatem praestat, vitae sit nuncupanda pabulum. Sed maioris videtur momenti *Vndecimum*, quanto hario-lantur, *naturam prouidam succum illum nutritium superfluum sub pinguedinis forma ideo foras protrudere, quo deficiente forsam alio ordinario alimento, habeat, vnde corpus suum quodammodo possit sustentare & recreare*, quod & supra adferuimus: sed nobis Natura mechanice agit ad summam Hippocratis mentem nec a Lipsio, Gassendo, Boyleo, Clerico, Dolaeo, Gundlingio &c. hac quidem in parte intellectam, vt alibi ostendam, non quasi prudentia quadam sit instructa, multo minus quasi ipsa sit anima rationalis, vt recentiorum quidam haud circumspecte postulant; Ideo fieri secus non potest, quam vt deficiente alimento ordinario, ab alluente sanguine, particulis illis nutritiis i. e. pinguibus depauperato, hincque acriori & ad rapiendum quid de pinguedine aptiore, illud abradatur in nutritionem quod erat superfluum. Hi sunt quantum scio, illi vsus omnes, saltim plurimi, quos pro defendenda pin-gue-

guedine cœu naturali & necessaria, allegant Anatomicorum principes; quibus tamen hæc quæ hæctenus dicta sunt, breuiter & decenter regerere visum fuit. Iam ea quæ forte restant, ad finem properantes consideremus.

§. XIII.

Vfus igitur perexiguos corpori nostro præstat, vt vidimus, subcutanea illa pinguedo, de qua potissimum hic fuit sermo: nec eos curaremus adeo, modo eadem non ferale sæpius foret puluinar, corpusque nostrum fouendo, vt aiunt, plane suffocaret. Scilicet ea est pinguedinis conditio, immo malignitas, vt accedente quotidie fucci nutritii superflua copia noua, indies augeatur illa & attollatur: cutis enim, cui substrata est, ratione suæ sese expandendi virtutis, facillime eidem cedit, hinc & obseruante apud Bartholinum, Veslingio, plerumque laxius ipsi inhaeret; vnde in immensum prope accrescere comode admodum potest, vt exempla legere est apud Bartholinum, Pechlinum, Timæum a Guldenkleee, Tulpium, Schenckium, Marcellum Donatum, Platerum aliofque. Immo non extra carnis musculosæ peripheriam sese tantum prodit illa tot malorum genitrix; sed & internas corporis partes & viscera sæpissime occupat. Sic in thorace pulmonibus imposita, abundare visa fuit Bar- *H. A. C. II, 15.*
tholino toties allegato: renes sæpius ita eidem fuere immerfi, vt illos vix inuenire licuerit, vti apud eundem legitur: adglutinat se cordis basi, immo, quod etiam vidimus, cono s. cuspidi, quin & in ipsis cordis thalamis adiposa frustula oblonga lumbricorum instar, vidit Bartholinus, qui & alibi ex Spigelio, Riolano Iessenioque *H. A. C. V, 7.*
adnotauit, totum cor nonnunquam adipe plane fuisse occultatum, ita vt illud adstantibus deficere visum fuerit: De Polypo infra dicam: de Omento supra iam dictum fuit:
C 3 Ipse

*Morb. Chron.
L. V. c. XI.*

Ipsæ præterea muliebri vidi ovarium, pingui substantia
 feuique æmula turgidum : Alia iam non attingo quæ
 medicorum obseruationes larga quasi manu, suppeditant,
 Nisi igitur aut per diætã tenuem & parcam, aut motus
 & exercitationes crebriores, Vigiliã, aut opportuna Ven-
 nere, (de quibus præter Hippocratem (cc), Plutarchum
 aliosque, eleganter egit Cælius Aurelianus, vt recentio-
 res, (ex quibus supra aliquos allegati) taceam, huic hosti sen-
 sim vires adquirenti, obuiam eatur, eique illis, quos dixi,
 modis remora iniiciatur, quo minus maiorem excrescat in
 molem, quam machina ferre potest corporea, i. e. *ultra
 naturæ modum*, vt Cælius loquitur modo allegatus; vi-
 ta sane mortalium in nouacula, vt aiunt, posita est acie.
 Dum enim graue pinguedinis pondus venas, arterias, ner-
 uosque vna cum musculis insigniter comprimit, & spiri-
 tuum in nervos influxus sufflaminatur, & circulus pur-
 purei liquoris retardatur, & musculi tono suo priuantur,
 inde repentini & atrocissimi morbi & inexorabiles mortes,
 scilicet paralysis, apoplexia, dyspnoea, asthma, carus, coma &c. In
 sequiori sexu potissimum in pinguedinem prono, *duo rousa,*
 immo

cc] Hic in Libro de *Dieta salubri*, concise pro more, at nervose, re-
 gulas præscribit, quibus rite obseruatis, pingue corpus iterum
 redigi potest in gracile. Verba latine hic adscribam, ne ni-
 mia græca nauseam pariant lectoribus: *Pingues inquit & qui
 graciles fieri volunt, omnes labores ieiunii facere debent, & cibos
 assumere anbelantes adhuc ex fatigatione, & vinum bibere dilu-
 tum nec valde frigidum; & obsonia ex sesamis, aut condimentis
 hortensibus huiusque generis aliis sibi præparare: sint autem
 pingua quæ offeruntur obsonia: sic enim impleri poterint a quam
 paucissimis. Sed & semel in die cibum sumere & illos manere,
 & strata dura habere & nudos deambulare ipsos oportet, quantum
 huius fieri potest maxime.*

immo & saepe *αρεννία* teste Hippocrate Lib. *de Sterilibus*,
 de *A. A. & L. & alibi*: simili quoque modo in ipso no-
 biliori lexu *τενωπολιών* nimia impedit pinguedo, vt adfe-
 runt Auicenna, Laurentius, Etmullerus contradicente li-
 cet Timaeo à Guldenkle. Huc etiam refero protuber-
 rantias illas monstruosas quae externe propendentes mor-
 tales adeo deformant, v. g. Melicerides, atheromata, steo-
 tomata, fungos & id genus alias, vbi sebacea quaedam in-
 est substantia: insigne steatoma a se feliciter abscissum in-
 signis exhibet Pechlinus in obseruationibus. Nec reticen-
 dus hic est Polypus sic dictus cordis, qui in venas atque
 arterias suos letiferos ramos spargit, vt iconem re-
 praesentat saepius laudatus Bartholinus: is enim ad plu-
 rimorum mentem, ex gelatinosa quadam & pingui san-
 guinis substantia ortum ducit, quibus merito accedimus,
 licet celeberrimo aliud sciamus visum Malpighio, illud co-
 agulum substantiae, si qua natura est (dd), sanguinis fila-
 mentosae ac fibrosae adscribenti: Nec illos moramur, qui
 nunc ex pituita, nunc ex crudo quodam humore a iecore
 cordi suppeditato, polypos oriri crediderunt, ab aliis quip-
 pe & ipso etiam Malpighio refutatos.

L. III, 46. ad-
 de Barthol.
 H. A. C. I, 23.

H. A. C. III, 17.

Diff. de Cordis
 Polypo.

§. XIV.

Sed haec fere sunt, quae de pinguedine tanquam
 parte corporis superflua & non naturali, in medium ad-
 ferre libuit, immo, per angustos Dissertationis, quibus
 includimur, cancellos, licuit. Longe plura, non nego,
 poterant dici, quaedam etiam quae dicta sunt, vberius il-
 lustrari & explicari, nam pinguis aderat, vt ita loquar,
 materia cum de Nutritione, tum de Nutrimento ipso, de
 quo tot olim & nunc quoque lites. Interim tamen non
 spero

dd] Legi potest celeb. Bohni Progymn. XIII. p. 169.

Ipſero vei in hiſce pagellis iure mihi a quopiam occini poſſe illud Virgilianum :

Eheu! quam pingui macer eſt (tibi) taurus in aruo.

Lectorem autem quem ſupra iam alloquutus ſum, item & Auditorem meum quem iam alloquor, **VALERE** iubeo, mihiſque, vbi pinguius aliquanto meum fuerit ingenium, vt ignoſcant, rogo.

TANTVM.



Ma 1683

ULB Halle

004 582 233

3




56.

Rest. / Schm

Jan. 26







Q. D. B. V.

DE

PINGVEDINE

CEV

SVCCO NVTRITIO SVPERFLVO,

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,

ACAD. h. t. PRO-RECTORE ET COLLEG.

MED. DECANO &c.

PRO DOCTORIS GRADV,

Publice disputabit

AVCTOR

M. DANIEL WILHELM. TRILLERVS,

ERFORDIENSIS.

Ad d. II. August. MDCCCXVIII.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.